

condiciones generales ad incurrendam censuram requisitas (n. 568), ii censuram non incurrunt, nisi mandata fori saecularis executioni data fuerint et reapse jurisdictionis exercitium impederint. Neque eam probabilius incurrunt qui per recursum obtinuerint fori saecularis mandatum, donec eo usi sint ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae: quia mandatum est medium ad impediendum, atque ideo accessorium aliquid est. (D'Annib. n. 62; Penn. I. p. 252)

## VII.

Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

**590. Cogentes... personas ecclesiasticas.** Ipsa S. Inqu. Litt. Encycl. d. d. 23 Jan. 1886 declaravit "caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates. „ Quare antiquata est opinio eorum qui huic censurae subiciebant privatas personas quae metu vel querelis iudices cogent ad clericos citandos vel puniendos. De iis tamen in Litt. cit. dicitur: "Iis in locis, in quibus fori privilegio per SS. Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi, nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint. Episcopus autem in id forum convenire, absque venia Sed. Apost. non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos, vel clericum sine venia Ordinarii, vel episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint. „ (Coll. P. F. n. 1011) Atque, ut declaravit S. C. de P. F. 6 Sept. 1886 (Zitelli, Appar. J. Eccl. p. 218), similis licentia necessaria est ut clericus cedat laico jura sua adversus alium clericum vel episcopum, qui a laico isto ad civile tribunal trahendus sit.

*Praeter Canonicas dispositiones.* Etiam a vetere Jure communi, licet laicis clericos ad civilia tribunalia trahere quibusdam in casibus: quos videsis ap. Piatum. (Comm. in h. l.) Cum plerique parum ad praxim hodiernam faciant, eos explicare omitemus. Insuper quandoque S. Sedes per Concordata ampliorem derogationem privilegio fori concessit.

*Edentes leges vel decreta.* Leges dicuntur ordinationes a suprema potestate editae; decreta, ordinationes quae ab inferioribus potestatibus, ex. gr. ministris regiis, burgimagistris, feruntur. Cfr. Vol. I. n. 83. Non tamen comprehenduntur quae eduntur in singulas personas, vel in singulos casus, adeoque nec iudicum sententiae. (D'Annib. Comm. in h. l.)

Vox autem *edendi* non designat eos qui leges vel decreta applicent vel urgent, sed eos tantum qui auctoritate sua ea condunt, ex. gr. iis suffragando in senatu, consilio urbano, etc.

*Contra libertatem aut jura Ecclesiae.* Cum latissima sint haec verba, ad censuram istam incurrendam sufficit lex vel decretum quo interceptur vel perturbetur exercitium cujuslibet juris ad Ecclesiam pertinentis, ut puta jus docendi, acquirendi bona temporalia, publicas supplicationes extra templa obeundi; immunitas cleri utriusque a servitio militari; libertas profitendi consilia evangelica in Ordinibus ab ecclesiastica auctoritate probatis, etc.

## VIII.

Recurrentes ad laicam postestatem ad impediendas Litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

## IX.

Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Rom. Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum: necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

## X.

Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exortura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem. (1)

## XI

Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

**591. Usurpantes** ii sunt qui rem a domino, quasi ad se pertinentem, occupant. Quare proprio sensu non sunt usurpatores, nec proinde praesenti censura ligati: 1° Qui rem injuste quidem detinent, sed citra

(1) Hanc censuram explicatam habes n. 351 seqq.

occupationem, ex. gr. conductor vel fructuarius qui dominum suo tempore rem suam reposcentem injuste repellit. — 2° Qui rem jam ab alio usurpatam invadit vel ab usurpatore per contractum vel testamentum acquirit. — 3° Qui bona furantur vel destruunt: ea enim non occupant quasi ad se pertinentia. (D'Annib. Comm. in h. l.)

*Sequestrantes* ii sunt qui legaliter, seu judiciaria auctoritate, impediunt ne bona, redditus, fructus ab iis ecclesiasticis personis percipiantur ad quas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum pertinent. (Piat. Comm. in h. l.) Ergo hic non agitur de sequestro conventionali, sed de judiciali tantum. Cfr. Vol. I. n. 624.

*Jurisdictionem, bona, redditus... pertinentes.* His verbis indicatur quale debeat esse objectum hujus usurpationis vel sequestri: vid. quaelibet jurisdictio, sive temporalis, sive spiritualis, quaelibet bona temporalia, quicumque fructus naturales vel civiles, pertinentes ad personas ecclesiasticas, a simplici tonsurato usque ad Rom. Pont., ratione ecclesiarum quibus adscripti sunt vel beneficiorum quae obtinent. Minime ergo comprehenduntur bona quae spectant ad loca pia, ex. gr. ad nosocomia, vel quae ad ecclesias, sed non ad personas ecclesiasticas spectant, ex. gr. addicta aedibus reparandis, divinis officiis celebrandis, etc. Neque comprehenduntur probabilius bona monasteriorum: tum quia Pius IX hanc vocem, quae in Bulla Coenae exprimebatur, omisit et sic satis significavit intentionem ea praetereundi, tum quia ad nullam personam, sed vel ad ipsa monasteria, vel ad eorum sacristias, vel ad Ecclesiam Romanam pertinent. (Ball. P. n. 435; D'Annib. Comm. in h. l.) Insuper satis probabile est non comprehendi eos qui bona supra dicta usurpant dum beneficium vacat: quia praesens censura praesertim intendit tueri bona, quibus sustentantur personae ecclesiasticae. (D'Annib. l. c.)

Attende multos qui a praesenti censura excusantur, incidere in excommunicationem simpliciter reservatam Rom. Pont. quae circa idem argumentum, sed cum majore extensione a Trident. lata est. Cfr. n. 606.

## XII.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supream jurisdictionem in eis, necnon ad singula praedieta auxilium, consilium, favorem praestantes.

## XIII.

592. Ex Const. *Romanus Pontifex*, quam Pius IX edidit 28 Aug. 1873, excommunicationi specialiter S. Sedi reservatae subjiciuntur:

1° Canonici ac Dignitates cathedralium ecclesiarum vacantium qui ausi fuerint earumdem ecclesiarum curam, regimen et administrationem sub quovis titulo transferre in eos qui a laica potestate ad sedes episcopales nominati vel praesentati fuerint. Sed probabilius a censura immunes essent si eandem curam transferrent in electum a capitulo, in locis ubi hoc jus eligendi permansit. (Penn. II. p. 530) Nam Bulla loquitur de nominatis et praesentatis, quibus nominibus proprie non veniunt electi. Neque hos includi suadet scopus Bullae, quae directa est contra eos qui nominatis a gubernio praebent hoc facile medium praetereundi confirmationem a S. Sede obtinendam.

2° Nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere ausi fuerint ex praediecta concessionem et translatione, quemcumque titulum assumunt, etiam Vicarii Generalis vel Capitularis.

3° Qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cujuscumque status, condicionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

Bullae textum brevemque interpretationem videsis ap. Pennacchi, t. I. Append. XIII. (1)

## SECUNDA SERIES.

Excommunicatio (simpliciter) Romano Pont. reservata ligat:

## I.

Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complices, prout damnata est a Bened. XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745; *Ubi primum* 2 Junii 1746; *Ad eradicandum* 28 Sept. 1746.

593. *Docentes vel defendentes* ii sunt qui damnatas propositiones non tantum simpliciter asserunt, sed eas voce vel scripto aliis suadent vel, fucatis rationibus, conantur probare earum veritatem aut probabilitatem in sensu quo ab Ap. Sede damnatae fuerint.

(1) Juxta resp. S. Poenit. 4 Aug. 1876, excommunicationi specialiter Rom. Pont. reservatae subduntur qui adhaerent vel favent Societati Italicae, quae contendit vindicare jura populi Romani in electione Summi Pontificis. Sed cum haec Societas extra Italiam non vigeat, nihil de hoc argumento dicemus.

*Propositiones ab Apostolica Sede... sententiae.* Itaque ad incurrendam censuram requiritur :

1° Ut propositio aliqua in specie, vel saltem in globo cum pluribus aliis, damnata fuerit, nec sufficit damnatum esse librum in quo continetur. Minime tamen necesse est ut aliqua censura theologica fuerit notata. Quodsi propositio reprobata fuit ut haeretica, eam docentes vel defendentes cadunt sub excommunicationem specialiter Sed. Apost. reservatam. (n. 586)

2° Ut fuerit damnata ab ipso Rom. Pont. Id enim proprie sonant verba: *ab Apostolica Sede.* Tales sunt propositiones 5 de duello damnatae a Bened. XIV Const. *Detestabilem* 10 Nov. 1752 et propositiones 85 Synodi Pistoriensis damnatae a Pio VI Const. *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794. Itaque non sufficit ut damnata fuerit ab aliqua Congregatione Romana, vi suae ordinariae auctoritatis agente. (Ball. P. n. 445; D'Annib. I. n. 391. nota 1; Piat. Comment. in h. l.) Sufficit tamen decreta Congregationum nomine et auctoritate R. P. fuisse promulgata, ut potissimum contingit pro pluribus S. Inqu. decretis. Exempla habes in decretis S. Inqu. probatis ab Alex. VIII 24 Aug. et 7 Dec. 1690. (Denz. n. 1156 seqq.)

3° Ut damnata fuerit sub excommunicationis poena l. s., quamvis haec forte nemini reservata fuerit. Hinc censuram istam non incurrunt qui defendunt propositiones damnatas a S. Sede, nulla adjecta censura, ex. gr. quae in Syllabo Pii IX continentur.

*Item docentes vel defendentes, etc.* Quo sensu et sub quibusnam restrictionibus haec praxis a Sede Ap. damnata fuerit, dictum est n. 364. Attende censura non plecti eos qui praxim reprobatae exercent, nisi simul eam docent vel defendunt.

## II.

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur ut episcopus aut alius absolvat.

594. *Violentas manus... injicientes.* Censurae hujus tenor, contra ac pro reliquis fit, latissime interpretandus est : cujus exceptionis ratio reperitur tum in favore quem ista lex Ordini clericali tribuit, tum praesertim in traditione DD. qui ita interpretati sunt similem canonem : *Si quis, suadente diabolo,* Decreto Gratiani (caus. 17. q. 4) insertum. Hinc verba citata intellegenda sunt de quacumque injuria gravi et externa quae, non solis verbis, sed actionibus clerico inferatur. Nec refert utrum haec injuria fiat corpori, puta per occisionem, percussorem,

etc. — libertati, puta per incarcerationem, — dignitati, puta si clerici vestes conscindantur, si sputo vel luto foedetur, si rheda, qua vehitur, vi sistatur, si crumena ipsi per vim auferatur, etc. Probabilius tamen huic censurae jam non subjiciuntur impuberes : quia praesens Const. eos non exprimit, quod tamen facit brevi post (n. 599) quando eos comprehendi vult (D'Annib. Comm. in h. l.) Idem dicendum opinamur cum D'Annib. (l. c.) Pennacchi (t. I. App. 17), Ball. P. (n. 448), de mandantibus aut consulentibus clerici percussorem : quamvis multi alii (Piat. Comm. in h. l.) eos nunc censurae subjiciant sicut ante Constit. *Apost. Sedis* eidem certe subjiciebantur. Ratio praecipua est, eos non exprimi in praesenti Const. quae tamen eosdem expressit (Excomm. 5<sup>a</sup> inter spec. reserv.) quando eos comprehendi voluit.

*Suadente diabolo.* Haec verba, ex antiquo canone servata, tantum significant oportere ut injuria clerico inferatur per actionem letaliter malam in ratione sacrilegii. (Piat. Comm. in h. l.) Hinc non incurritur censura :

1° Si quaelibet culpa abest quia percussio fit ob justam causam. Haec autem habetur ubi pater, magister aliusve Superior clericum, etiam in Sacris constitutum, leviter per se vel per alium percutit, correctionis gratia. (Decr. l. 5. t. 30. c. 54) Similiter, si percutit clericum justae defensionis gratia.

2° Si gravis culpa abest, puta si percussus est clericus ex subita ira et sine plena advertentia, vel joco casuve, etiamsi aliqua imprudentia comitetur.

3° Si gravis quidem culpa contra justitiam, non autem contra religionem committitur, ut si quis ignorat eum quem graviter percutit clericum esse.

*In Clericos vel utriusque sexus Monachos.* Clericus hic, lata significatione, intellegitur quicumque primam tonsuram accepit et canonis privilegium non amisit : quod raro amittitur, ex. gr. per realem degradationem. (n. 613) Quidam includunt etiam Seminaristas, quamvis nondum primam tonsuram receperint (S. Alph. l. 7. n. 271) : quod tamen nullo certo argumento constat. (Piat. in h. l.) Monachi vero utriusque sexus intellegendi sunt ii omnes qui religiosi in sensu latissimo nuncupantur. (n. 74) Quare extendendus est praesens canon etiam ad personas in Congregatione religiosa ab episcopo approbatae viventes : nam et istae tacita S. Sedis approbatione fruuntur.

*Exceptis quoad reservationem... absolvat.* His verbis indicat Pius IX salvam manere facultatem absolventi a praesenti censura, quae ante editam hanc Const. competebat episcopis vel *aliis* praelatis, praesertim Regularibus, auctoritatem quasi episcopalem exercentibus.

Episcopi igitur, nunc, sicut antea, possunt absolvere : a) eos qui

clericum leviter tantum percusserint. *Levis* autem censetur, juxta Const. Joannis XXII *Perlectis* (ap. Navarrum, Manuale Confessar. c. 27. n. 92), percussio " pugni, palmae, manus, pedis, digiti aut baculi, aut lapidis, quae nullam affert maculam, neque sugillationem carnum relinquit, neque abscindit membrum, sine effractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. „ Sed, ut advertit idem Pontifex (Const. cit.), fieri potest ut percussio, quae levis sit ratione physicae laesionis, fiat *mediocris* vel *enormis* ratione personae quae caeditur, puta episcopi, vel circumstantiarum, puta quia percutitur sacerdos sacris vestibus indutus. — *b*) Mulieres, senes et alios quibus physice vel moraliter impossibile est adire ad Rom. Pont. (Decr. l. 5. t. 39. c. 13) — *c*) Clericos et Religiosos simul conviventes (Decr. l. 3. t. 1. c. 9. et l. 5. t. 39. c. 2), necnon personas quae sui juris non sunt (Decr. l. 5. t. 39. c. 37), modo percussio non sit enormis.

Praeterea episcopi absolvere possunt a qualibet percussione occulta et, in praxi, ob facultates temporaneas, etiam a publica. Cfr. n. 575. VI.

Praelatis Regularibus facultatem absolvendi suos subditos sub variis restrictionibus concessit Jus commune. (Decr. l. 5. t. 39. cc. 2, 32, 50) Hoc privilegium salvum mansit post editam praesentem Constitutionem, siquidem Pius IX a reservatione excipit casus in quibus jure aut *privilegio* permittitur ut episcopus aut *alius* absolvat. Quare Praelati Regulares absolvere possunt subditos suos a qualibet clerici percussione, etiam enormi et publica, et quamvis percussus pertineat ad alium ordinem vel clerum saecularem. (S. Alph. l. 7. n. 37; Hilarius a Sexten, op. cit. p. 162)

### III.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; necnon de industria spectantes, illudque permittentes vel quantum in illis est non prohibentes cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

**595.** *Duellum perpetrantes.* Quinam isti sint dictum est Vol. I. n. 379 et n. 381. IV.

*Simpliciter ad illud provocantes.* Igitur incurritur excommunicatio seu alter acceptat, seu recusat; seu ipse provocans determinat locum, tempus et arma, seu horum electionem adversario relinquit.

*Vel ipsum acceptantes.* Hi ergo excommunicati sunt etiamsi pugna, qualibet de causa, non sequatur; minime vero si acceptatio vel provocatio plane ficta est. (Vol. I. n. 382)

*Quoslibet complices.* Hoc nomine veniunt : *a*) Testes seu patrini.

Minime tamen excommunicantur qui hoc officium acceptant ut reconciliationem inducant, vel etiam ad locum certaminis comitantur eo tantum animo ut duellum impediant, vel, si norint duellantes omnino velle ad mortem usque decertare, ut certamini finem imponant, quamprimum alteruter leve vulnus acceperit. — *b*) Consulentes, si eorum consilium aliquem influxum in duellum vel in provocationem aut acceptationem habuerit. — *c*) Mandantes, si mandatum verum influxum in unum e tribus praedictis habuerit. (Piat. Comm. in h. l.)

*Vel qualemcumque operam aut favorem praebentes.* His verbis designantur omnes qui realem influxum in duellum exercent, ex. gr. qui locum duello conserendo praebent, qui remonent publicos satellites a quibus certamen impediretur, qui duellantibus animum addunt, etc. His adnumerandus est, juxta resp. S. Inqu. 28 Maii 1884, medicus qui *ex conducto cum duellantibus* duello assisit, etiam cum intentione citius finiendi pugnam vel vulnera curandi, aut cum eadem intentione in loco propinquo se sistit, et similiter confessarius qui *ex conducto* in viciniam se receperit : uterque enim animum addit duellantibus, minuto periculo corporali vel spirituali. A censura tamen immunes videntur lanistae qui duellaturos artem gladiatoriam docent, dummodo eos ad duellum minime incitent. (Penn. II. p. 584 seqq.)

*Necnon de industria spectantes.* Hi sunt qui data opera et aperte ad duellum spectandum pergunt, non autem qui casu per locum certaminis transeuntes, ad illud spectandum consistunt vel e loco occulto certamen aspiciunt; nec milites qui e mera curiositate spectant commilitones in contubernio duellantes.

*Illudque permittentes... imperialis.* Probabilius hic non percelluntur privati, sed tantum publica auctoritate praediti qui duellum conserendum positive permiserint vel, cum possent, non impediverint, puta principes in territoriis suis, duces inter milites suos. (D'Annib. Comm. in h. l.)

Probabilius quoque nullus ex his qui *accessorie* damnantur, vid. complices, favorem praestantes, etc., censuram incurrit quando duellum non est reapse secutum. (D'Annib. in h. l.; Penn. I. p. 580; Lehm. II. n. 949) Verum quidem est ex Constitutionibus antiquioribus hos omnes incurrisse censuram, etiamsi nullum duellum secutum fuerit. Sed praevalet Const. Pii IX, in qua saltem non clare comprehenduntur. Cum enim initio censurae ponatur vox *duellum*, haec videtur referri ad singula membra sequentis sententiae, exceptis provocatione et acceptatione, quae sufficiunt etiamsi nullum duellum eas sequatur ob verbum *simpliciter* appositum.